

sculis liquidum elaborari potest. V. *Veneris abusus*, [a] qui cultores suos nimis cito baculis fulcit. Non male finxerunt veteres podagram Bacchi & Veneris filiam. VI. *Corpus crassum*, quod crudis oppleri magis ac debilitari solet. Errant enim, qui pinguedinem pro nutritionis excessu habent, quae omnino maior in macilentis est. Ibi tantum in cellulas tunicae adiposae, quae omnibus vasis ac musculis obuoluitur, segregatum pingue & lentiori motu collectum tumet, & circulationem vicinorum vasorum subinde suffocat. VII. *Acidorum abusus* teste *Tachenio*, qui in peste Romana liberatos aegros acidis esse, at podagricos euasisse scribit. IIX. *Praua consuetudo*, qualis equitum & venatorum est, humidos & frigefactos pedes ad focum siccandi, unde stasis in siccatis & coalescentibus partibus contumacior. Ne dicam de malo per haereditatem [b] & contagium acquisito. Atque hos omnes suspicari oportet & podagrae & eius retrocedentis iniuriis magis expositos esse.

## §. XVI.

Praefagia de exitu retropulsae podagrae respiciunt maxime sedis affectae nobilitatem, & superstitum virium robur. Vel in scabie & maculis cutaneis apparet, quantum noxae immineat, si retrocedant. Si id, quod retrocessit, oberrat adhuc intra maiores vasorum suorum truncos, nec fixit sedem, tunc vel solo salubri diaetae regimine in corpore ceteroquin bene valente ad latebras suas remeabit. Inde optime [c] *PECHLINVS*, *notandum*, inquit, *quando*

[a] Vid. *HIPPOCRATIS* aphor. 30. Sect. VI. ubi pueri a podagra immunes indicantur, quod venerem nesciant. Recte illud: *ut venus eneruat vires, sic copia vini, & tentat gressus debilitatque pedes.*

[b] Vid. *Summi BOERHAVII* aphorif. 1255.

[c] Vid. *observ. med.* Libr. II. obs. 26.